367.2

31

Illm̃i, ac Rm̃i Domini
D. JOANNIS JACOBI
M I L L O,
SS. D. N. BENEDICTI XIV.
Datarii,
ET IN CAPITULO GENERALI
Fr. Minorum S. Franciſci Conventualium
Vice-Præſidis,

AD GENERALIA COMITIA
P R O L U S I O,
Habita VI. Idus Majas, Anni M. DCC. XLVII.




1872

R O M Æ
Apud Joannem Mariam Salvioni Typographum Vaticanum
In Archigymnasio Sapientiæ
M. DCC. XLVII.

Superiorum Facultate.

Digitized by Google

Digitized by Google



GAUDEO, atque iterum gaudeo, Patres Religioſiſſimi, quòd immortalis Dei beneficio, & Sanctiſſimi Domini Noſtri BENEDICTI Decimiquarti benignitate datum mihi ſit, iterum vos in hiſce Generalibus Comitiis congregatos videre, amplecti, ſuſpicere, veſtriſque deliberationibus, ejuſdem Optimi, Maximique Pontificis vice, ac nomine præſidere. Quid enim jucundius accidere cuipiam poteſt, quàm tot, ac tales Beatiſſimi Patriarchæ Franciſci Filios, illiuſque maximarum virtutum ſtrenuos imitatores, ex quamplurimis totius Orbis Provinciis in hanc Urbem Chriſtianæ Religionis arcem convenientes, vel ſingulos privatim alloqui, vel in hoc ampliſſimo loco ſimul omnes audire, ipſorum intereſſe conſiliis, atque ita uniuſcujuſque

 pie-

pietatem, ceteraſque præclariſſimas virtutes perſpectas, planèque cognitas, & comprehenſas habere? Et ſanè ubi cauſam conſidero, quæ vos in unum coegit, & quam expendendam, deliberandamque hodierna die ſuſcipitis, facilè intelligo, hujuſcemodi illam eſſe, ut in ipſius pertractatione tegere ſeipſum nequeat cujuſquam animus, aut virtus latere. Acturi eſtis de eligendo Seraphici veſtri Ordinis Supremo Duce, ac Moderatore. Qua in re facilè diſcernitur, quibus quiſque affectibus moveatur: & quemadmodum in Mundi hominibus uſu venire ſolet, ut in ſimilibus cauſis ſeipſam patefaciat ambitio, aut quævis alia in corde reſidens humana paſſio, ita in hoc veſtro graviſſimo conſeſſu, atque in veſtris conſultationibus illud futurum eſſe certò mihi perſuadeo, quod aliàs etiam expertus ſum, ut religio, modeſtia, prudentia, caritas, unò verbo, virtus ipſa eluceat.

Nemo veſtrum eſt, qui non complectatur animo pertractandæ rei gravitatem: Nemo, qui non advertat, id ſe nunc agere, ut Divo Franciſco Succeſſorem, Religioni Præſulem, ſibi eligat Patrem. Nemo proinde eſt, qui in Franciſci Succeſſore morum ſanctitatem, in Religionis Præſule authoritatem, in Patre ſuo humanitatem non ſibi exiſtimet

eſſe

Digitized by Google

eſſe requirendam. Quamobrem in hoc tantummodò laborandum eſt maximè, ut tot inter viros, quibus Cœtus veſter abundat, doctrina, & pietate illuſtres, inveſtigetis diligentiſſimè, quem præ ceteris vobis commendent præclariſſimæ illius, & probatæ virtutes; ut exploretis, cujus ſit in promovendo Dei cultu zelus ardentior, in vitæ integritate firmitas conſtantior, in legum obſervantia attentio vigilantior, in rebus agendis prudentius conſilium, in conficiendis negotiis celeritas promptior; atque hunc talem, tantumque Virum vobis, ac ceteris omnibus anteponatis. His enim ornamentis excellere oportet illum, qui regendum ſuſcipiat inclytum Ordinem veſtrum, ut illius præſtantiam, ac dignitatem tueri poſſit, conſervare, atque augere.

Norunt omnes, quantam ſibi pluribus ab hinc ſæculis Ordo veſter gloriam pepererit, & quàm benè à primæva ſua inſtitutione ad hæc uſque tempora meritus ſit de univerſa Eccleſia. Neque ego hìc Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ monumenta repetam, ſive antiquiora, ſive recentiora, quibus firmatur, & illuſtratur veſtri Ordinis amplitudo; ne occupatior fortaſſe videar in veſtris laudibus celebrandis, quàm in officio præſtando. Plurimùm

tamen

tamen intereſſe arbitror , ut ea vos ipſi in memoriam revocetis , atque inde intelligatis , quantum ab electione optimi Præſulis pendeat Religionis veſtræ quies , pax , tranquillitas , incrementum . Plurima vos exempla domeſtica docebunt , quid vobis ad virtutem , quid etiam ad decus profecerit induſtria , & vigilantia Paſtorum . Quid verò mali ab eorum negligentia pertimeſcendum ſit , & quomodo , non vigilantibus iiſdem , decreſcat amor ſcientiarum , langueat ſtudium virtutis , & partus ex illis ſplendor imminuatur , ſi non domeſtica , extera certè exempla commonſtrabunt . Nolite igitur contemnenda putare , quæ nunc vobis diligentiſſime providenda ſunt : Præcavete , ne quid à vobis detrimenti capiat Reſpublica veſtra . Nemo cogitet quæ ſua ſunt ; ſed in commune bonum unuſquiſque omni cogitatione , curaque incumbat . Virum quærite inter diſpenſatores fidelem : Cuſtodem eligite , per quem Ordinis veſtri dignitatem , & ornamenta retineatis , & augeatis . Hoc à vobis omnium veſtrarum Provinciarum vota expetunt , hoc poſtulant boni omnes , hoc Eccleſia expectat , hoc denique ſibi ex veſtra prudentia pollicetur Sanctiſſimus Dominus Noſter , quem ipſo electionis die hìc præſentem habebitis , atque ad hoc

ipſum

ipſum longè eloquentiùs, & efficaciùs cohortantem.

Ego verò, qui interim fungor vice Illius, ſi quid in me eſt authoritatis, conſilii, laboris, ingenii, id omne ad hanc rem conficiendam vobis polliceor, & defero. Sex jam anni ſunt, cùm eodem functus officio, magno animi mei gaudio vidi, & expertus ſum, quàm longè ab unoquoque veſtrum abſint privata ſtudia, & quæ ex illis, tamquam ex infecta radice naſcuntur, contentiones, atque diffidia. Vidi, quanto voluntatum, & ſuffragiorum conſenſu ornatiſſimum Virum, quem honoris cauſa nomino, Joannem Baptiſtam Minucci, nuper ad gubernandam Eccleſiam Policaſtrenſem divino nutu vocatum, veſtrum Ducem, Rectoremque elegiſtis. Similem futuram eſſe animorum conſenſionem in deligendo illius Succeſſore nunc mihi auguror, & ex vobis polliceor; quos id unum præ oculis habituros confido, ut majorem Dei gloriam, veſtræque Religionis utilitatem promoveatis. Verùm, quia omne bonum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum, ad ipſum mentem, animumque converto, iiſdemque vos alloquor verbis, quibus olim Clerum Mediolanenſem, Antiſtitem ſuum electurum allocutus eſt Magnus Gre-

Digitized by Google

Gregorius (*a*) „ Orationibus proſequor ele-„ ctionem veſtram, ut omnipotens Deus, qui „ futurorum actuum noſtrorum ſemper eſt „ præſcius, talem vobis Paſtorem præbeat, „ in cujus lingua, & moribus exhortationis „ divinæ paſcua valeatis invenire; in cujus „ mente & humilitas cum rectitudine ful-„ geat, & ſeveritas cum pietate; qui vobis „ viam vitæ non ſolùm legendo, vel loquen-„ do, ſed etiam vivendo poſſit oſtendere.

(*a*) *Lib.* 2. *Epiſt.* 29.

LAVS·DEO

2
361·2
99 340370
Digitized by Google

Gregorius *(a)* „ Orationibus proſequor ele-
„ ctionem veſtram, ut omnipotens Deus, qui
„ futurorum actuum noſtrorum ſemper eſt
„ præſcius, talem vobis Paſtorem præbeat,
„ in cujus lingua, & moribus exhortationis
„ divinæ paſcua valeatis invenire; in cujus
„ mente & humilitas cum rectitudine ful-
„ geat, & ſeveritas cum pietate; qui vobis
„ viam vitæ non ſolùm legendo, vel loquen-
„ do, ſed etiam vivendo poſſit oſtendere.

(a) *Lib. 2. Epiſt. 29.*

LAVS·DEO

Z
367.2

99 940370

Digitized by Google